



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historia Missionis Anglicanæ Societatis Iesv

More, Henry

Avdomari, 1660

Henricus Rex Angliæ, non impertrata separatione à legitima coniugo ab
Ecclesia se separet. num. 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38320



PRÆFATIO.

I. **N**otior est à fide Catholica in Anglia facta discessio, quam ut multis de illa præfari necesse sit: nam & Nicolaus Sanderus luculenter eius originem latinè descripsit, & Petrus Ribadeneira eandem idiomate Hispanico euulgauit, & alij deinceps in commentaria digesserunt pleraque quæ annis consequentibus euenerunt; ipsa denique res, jamã, terra maris, gestis, odio sui vel amore, orbem impleuit uniuersum. Quia tamen causæ & effectuum est tam arcta connectio ut sibi inuicem lumen adferant, & actiones hominum prout res à quibus ortum ducunt variantur; scripturo de Anglis è Societate Iesu, paucis de summa rei dicendum erit, ut cum de causa constiterit, eorum etiam quæ sint merita, quæ hac in causa ab hominibus Societatis per Angliam, vel extra Angliæ fines, aut gesta aut tolerata sunt, certius intelligatur.

Scripserunt de Schifmate, Sanderus, Ribadeneira, yepes, Aquipontanus, Florimond, & alij.

II. Henricus eius nominis octauus Rex Angliæ cum Catharinam coniugem, filiam Ferdinandi & Isabelle Hispaniæ Regum (quam anno nono supra 1507. duxerat) post annorum ferè viginti cohabitationem, prolesque susceptas, fastidiret, rogauit Pontificem Clementem septimum, ut declararet legitimum nunquam inter illos tenuisse Matrimonium, concessionemque Iulij secundi Prædecessoris, nullius fuisse roboris, sed omni ex parte inualidam; fuerat enim Catharina uxor defuncti Arthuri fratris Henrici.) Pontifice non assentiente; domestico Iudicio dicta sententiã aduersus Catharinam, Rex Annam Bolenam, quam deperibat, thoro legitimo superinducit: Et quoniam Pontifex, qui propositionem diuortij non probarat, factum damnabat, neque potestate ad reuellendam decessoris sui gratiam, quam suadebat intemperans Regis animus, uolebat abuti, omni per Angliam potestate per gradus quosdam excluditur, & edictis publicis decernitur perpetuò excludendus.

Henricus 8. ab Ecclesia se separat.

III. Nam anno eius seculi trigesimo in communi ordinum Conuentu lex fertur, ut quæ causæ ab omni memoria censebantur fori Ecclesiastici, regni finibus non extrahantur; is uero qui in earum aliqua Auctoritatem summi Pontificis curarit interponi omnibus bonis & perpetuo carcere nuletetur. Sequenti deinde anno etiam decreta Synodalia intra regnum, subijciuntur examini Laico, & prohibentur Episcopi nunc condere, nisi quibus Rex censerim præuisset. Tum ipsa Electio, Confirmatio, Consecratio Episcoporum intra Angliæ limites clauditur, nullã habitã summi Pontificis ratione, nequidem ad Archiepiscoporum insignia

Henrici 8. anno 24. c. 12.

anno 25. c. 19. 86. 24.